


Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849, enthaltend fol. 74a-231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.



396

manifesta fieret, pro nihilo aurum et argentum reputabuntur. Indignabamur Tiberio propter hominis illius occisionem, quia, si ars illa manifestata fuisset, sine labore et sollicitudine possent duci per loca vasa. Fragilitas illorum vasorum sola ea reddit vilia et nullius reputationis, quamvis sint elegantissimae speciei, visu pulcherrima; nam dum imperator Fridericus III. anno praeterito esset Venetiis et dux cum senatu ei mirabile quoddam vas vitreum pulchrum valde obtulissent, ut ejus aspectu laetaretur, imperator autem accepto vase cum aliquantisper ejus ammiratus pulchritudinem laudasset artificum industriam, ex intentione quasi ex casu elabi permisit vas de manibus in pavementum, quod in multa concidit frusta. At imperator quasi territus de fractura dixit: heu, quid accidit? et dum quidam inutiles fracturas levaret, dixit: ecce, quantum excellent vasa aurea et argentea, quorum fracturae utiles sunt! Ex qua imperatoris locutione Veneti instructi imperatori vas aureum propinaverunt, quod accipiens nequaquam projecit in terram. Igitur illum totum diem in occupatione fuimus, ut vasa vitrea caute illigaremus, ne ductu et motu rumperentur.

Quinta decima die mane navigavi ad S. Dominicum et fratres ibi visitavi, quos ibi novi, et deinde navigio descendi ad conventum S. Johannis et Pauli, in quo etiam notos meos fratres visitavi. Post hoc transmeavi canale majus ad [hospitium?] dominorum Teutonicorum, in quo plures mihi affectos habui, quibus salutatis in meum navigavi locum.

Sexta decima die illigaverunt negotiatores Ulmenses sua mercimonia in fontico, quibus supellectilem meam etiam involverunt, sportam scilicet cum ramis palmarum, quas in Alexandria aptaveram, et sportam cum lapidibus de sanctis locis collectis et lectulum meum, quem in Jerusalem emi, eoque per desertum et mare usus fui, et omnia alia, quae in equo ducere mecum nolui. Circa vespas illius diei magnus concursus populorum fuit, concurrentium ad Rivoaltum per pontem ad videndum combustionem farinae falsificatae. Quidam enim saccos plenos farina in navi adduxerat, ut venderet, et compertum est, quod farina erat cinere permixta et calce et aliis albis pulveribus, ut eo copiosior esset; erat enim tunc fames Venetiis valida et farina ac frumentum in foro charissimo. Comperto autem dolo domini Vene-

407

405

411

401

416

396

456

356

506

306

Ende

Anfang